Officia

nen hiemit anzuzeigen, dass ich in **New-York** eine Filial-Handlung unter rma errichtet habe.

selben habe ich Herrn **Herman Blümeling** übertragen, von dessen Unterschrift nehmen wollen.

Zolles wegen kann ich nur Nova von denjenigen Handlungen annehmen, welche abatt in Rechnung gewähren und die ich speziell um deren Zusendung ersuchen ndungen müsste ich unter Berechnung meiner Auslagen zurückgehen lassen.

das New-Yorker Geschäft ist ganz apart zu halten, da die Abrechnung von arantie direkt geschieht.

Achtungsvoll ergeben

Friedrich Pustet.

OFFICIA PROPRIA SANCTORUM PATRONORUM REGNI HUNGARIÆ.

Die 4. Decembris.

In Festo **S. Barbaræ,** Virg. et Mart. Duplex.

Oratio.

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulisti: concéde propitius; ut, qui beátæ Bárbaræ virginis et mártyris tuæ natalitia colimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Die 5. Decembris.

In Festo **S. Petri Chrysologi,** Episc. et Conf. Duplex.

Omnia ut in diurnali die 4. decembris, **248.**

Die 23. Januarii.

In Festo **S. Joannis Eleemosynarii,** Episcopi et Confessoris. Duplex.

Oratio.

Exaudi, quæsumus Dómine, preces nostras, quas in sancti Joannis Eleemosynárii confessóris tui atque pontificis solemnitáte deférimus: et, qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Die 28. Januarii.

In Festo **Desponsationis B. Mariæ Virg.** Duplex.

Omnia dicuntur ut inter festa pro aliquibus locis die 23. Januarii, [109].

Die 3. Februarii.

In Festo **S. Raymundi de Pennafort,** Confessoris. Semiduplex.

Omnia dicuntur ut in diurnali die 23. Januarii, **265.**

Die 11. Februarii.

In Festo **Bb. Septem Fundatorum** Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis. Duplex.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui in jugem memóriam dolórum sanctissimæ

tuæ genitricis per septem beátos patres nova servórum ejus familia ecclésiam tuam fecundásti: concéde nobis fámulis tuis in hac lacrimárum valle degéntibus ita ejúsdem mæstissimæ matris sócios cum ipsis esse passiónum in terris, ut perpétuæ consolatiónis consórtes fieri mereámur in cælis. Qui vivis et regnas.

Die 19. Februarii.

In Festo **S. Conradi Placentini**, Confessoris.

Semiduplex ad libitum.

Oratio.

Adesto, Dómine, supplicatiónibus nostris, quas in beáti Conrádi confessóris tui solemnitáte deférimus: ut, qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus, ejus qui tibi plácuit précibus adjuvémur. Per Dóminum.

Feria sexta post Cineres.

In Festo

Ss. Quinque Vulnerum D. N. J. C. Duplex majus.

Ad Vesperas.

Antiph. **Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit.**

Psalmus 115. Crédidi. 58.

Antiph. **Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attritus est propter scélera nostra.**

Psalmus 119. **Ad Dóminum, cum tribulárer, clamávi. 58.**

Antiph. **Alligávit Dóminus plagam pópuli sui, et percussúram ejus sanávit.**

Psalmus 139. **Eripe me, Dómine, ab hómine. 71.**

Antiph. **Omnis, qui transibit, stupébit super omnes plagas ejus.**

Psalmus 140. **Dómine, clamávi ad te. 72.**

Antiph. **O vos omnes, qui transitis per viam, atténdite, et vidéte, si est dolor sicut dolor meus.**

Psalmus 141. **Voce mea ad Dóminum clamávi. 73.**

Capitulum. Isaiæ 53.

Christus vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attritus est propter scélera nostra: cujus livóre sanáti sumus.

Hymnus.

Pange, lingua, gloriósi
Laúream certáminis,
Et super crucis trophæo
Dic triúmphum nóbilem:
Quáliter redémtor orbis
Immolátus vícerit.

De paréntis protoplásti
Fraude factor cóndolens,
Quando pomi noxiális
In necem morsu ruit,
Ipse lignum tunc notávit,
Damna ligni ut sólveret.

Hoc opus nostræ salútis
Ordo depopóscerat:
Multifórmis proditóris

Ars ut artem fálleret,
Et medélam ferret inde,
Hostis unde læserat.

Quando venit ergo sacri
Plénitúdo témporis,
Missus est ab arce Patris
Natus, orbis cónditor,
Atque ventre virgináli
Carne amictus pródiit.

Vagit infans inter arcta
Cónditus præsépia:
Membra pannis involúta
Virgo mater álligat;
Et Dei manus pedésque
Stricta cingit fáscia.

Sempitérna sit beátæ
Trinitáti glória,
Æqua Patri, Filióque,
Par decus Paráclito:
Unius trinique nomen
Laudet univérsitas. Amen.

℣. Vidébunt, in quem transfixérunt. ℟. Et dolébunt super eum, ut in morte primogéniti.

Ad Magnificat, Antiph. Dum in cruce penderet unigénitus Dei Filius, et ab ómnibus subsannarétur, mater ejus virgo Maria ipsum verum deum et hóminem cóndolens venerabátur.

Oratio.

Deus, qui unigéniti Filii tui passióne et per quinque vúlnera ejus sánguinis effusióne humánam natúram peccáto pérditam reparásti: tribue nobis, quæsumus, ut, qui ab eo suscépta vúlnera venerámur in terris, ejúsdem pretiosissimi sánguinis fructum cónsequi mereámur in cælis. Per eúmdem Dóminum.

Ad Laudes

ET PER HORAS.

Antiph. Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit.

Psalmus. Dóminus regnávit, cum reliquis de laudibus dominicæ ut in psalterio. 1.

Antiph. Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attritus est propter scélera nostra.

Antiph. Álligávit Dóminus plagam pópuli sui, et percussúram ejus sanávit.

Antiph. Omnis, qui transibit, stupébit super omnes plagas ejus.

Antiph. O vos omnes, qui transítis per viam, atténdite, et vidéte, si est dolor sicut dolor meus.

Capitulum. Isaiæ 53.

Christus vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attritus est propter scélera nostra: cujus livóre sanáti sumus.

Hymnus.

Lustra sex qui jam perégit,
Tempus implens córporis,
Sponte libera redémtor
Passióni déditus,
Agnus in crucis levátur
Immolándus stipite.

Felle potus ecce lánguet,
Spina, clavi, láncea
Mite corpus perforárunt,
Unda manat, et cruor:
Terra, pontus, astra, mundus,
Quo levántur flúmine!

Crux fidélis inter omnes
Arbor una nóbilis:
Silva talem nulla profert
Fronde, flore, gérmine:
Dulce ferrum, dulce lignum,
Dulce pondus sústinent.

Flecte ramos, arbor alta,
Tensa laxa víscera,
Et rigor lentéscat ille,
Quem dedit nativitas:
Et supérni membra regis
Tende miti stípite.

Sola digna tu fuisti
Ferre mundi víctimam,
Atque portum præparáre
Arca mundo naúfrago,
Quam sacer cruor perúnxit,
Fusus agni córpore.

Sempitérna sit beátæ
Trinitáti glória;
Æqua Patri, Filióque,
Par decus Paráclito:
Unius triníque nomen
Laudet univérsitas.
Amen.

℣. Vidébunt, in quem transfixérunt. ℟. Et dolébunt super eum, ut in morte primogéniti.

Ad Benedictus, Antiph. Unus mílitum láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis et aqua.

Ad Tertiam.

Antiph. Ipse autem.

Capitulum. Christus vulnerátus est, ut in laudibus.

℟. br. Fodérunt manus meas, * Et pedes meos. Fodérunt. ℣. Dinumeravérunt ómnia ossa mea. Et pedes. Glória Patri. Fodérunt.

℣. O vos omnes, qui transitis per viam. ℟. Atténdite, et vidéte dolórem meum.

Ad Sextam.

Antiph. Alligávit Dóminus.

Capitulum. Isaiæ 50.

FACIEM meam non avérti ab increpántibus et conspuéntibus in me: Dóminus Deus auxiliátor meus; et ideo non sum confúsus.

℟. br. Vere languóres nostros * Ipse tulit. Vere. ℣. Et dolóres nostros ipse portávit. Ipse. Glória Patri. Vere.

℣. Disciplína pacis nostræ super eum. ℟. Et livóre ejus sanáti sumus.

Ad Nonam.

Antiph. O vos omnes.

Capitulum. Isaiæ 53.

TRADIDIT Christus in mortem ánimam suam, et cum scelerátis reputátus est; et ipse peccáta multórum tulit, et pro transgressóribus rogávit.

℟. br. Ipse vulnerátus est * Propter iniquitátes nostras. Ipse. ℣. Attritus est propter scélera nostra. Propter. Glória Patri. Ipse.

℣. Oblátus est, quia ipse vóluit. ℟. Et non apéruit os suum.

In II. Vesperis.

Omnia ut in primis vesperis.

Ad Magnificat, Antiph. Ego sum vestra redémtio: manus meæ, quæ vos fecérunt, clavis confixæ sunt; propter vos flagéllis cæsus sum, spinis coronátus sum: aquam pétii pendens, et acétum porrexérunt: in escam meam fel dedérunt, et in latus lánceam: mórtuus et sepúltus resurréxi: vobiscum sum, et vivo in ætérnum.

Die 14. Martii.

In Festo
Ss. Cyrilli et Methodii,
Episcoporum et Confessorum. Duplex.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui nos per beátos pontífices et confessóres tuos Cyrillum et Methódium ad unitátem fídei christiánæ vocáre dignátus es: præsta, quæsumus; ut, qui præsénti eórum festivitáte lætámur, ipsórum étiam méritis glóriam cónsequi mereámur ætérnam. Per Dóminum.

Die 16. Martii.

In Festo
S. Camilli de Lellis,
Confessoris. Duplex.

In Hymno Iste Conféssor, mutatur tertius versus.

Oratio.

Deus, qui sanctum Camillum ad animárum in extrémo agóne luctántium subsidium singulári caritátis prærogativa decorásti: ejus, quæsumus, méritis spíritum nobis tuæ dilectiónis infúnde; ut in hora éxitus nostri hostem vincere et ad cæléstem mereámur corónam pervenire. Per Dóminum. in unitáte ejúsdem.

Die 24. Martii.

In Festo
S. Gabrielis Archangeli.
Duplex majus.

Omnia ut inter officia propria pro aliquibus locis, die 18. martii [130].

Die 23. Aprilis.

In Festo **S. Adalberti,**
Episcopi et Martyris, Regni Hungariæ Patroni.
Duplex I. classis cum Oct.

Oratio.

Omnipotens, sempitérne Deus, qui hodiérna die beátum Adalbértum mártyrem tuum atque pontíficem mérito passiónis sanctis tuis sociáre dignátus es: tribue, quæsumus,

ut per ejus exémpla ad pátriam perveniámus ætérnam. Per Dóminum.

Die 24. Aprilis.
In Festo **S. Georgii,** Martyris. Duplex.

Omnia ut in diurnali sub die 23. ejusdem mensis, **290,** cum commemoratione octavæ sancti Adalberti in laudibus.

Antiph. **Lux perpétua. ℣. Sancti et justi.** Oratio. **Omnipotens.**

Die 27. Aprilis.
In Festo **B. Peregrini,** Confessoris. Duplex.
Oratio.

Deus, **qui nos beáti Peregrini confessóris tui ánnua** solemnitáte **lætíficas:** concéde **propitius; ut, cujus natalitia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.**

Die 28. Aprilis.
Sexta die infra Octavam **S. Adalberti,** Episcopi et Martyris.

In primis vesperis commemoratio S. Vitalis mart.

Antiph. **Filiæ Jerúsalem. ℣. Pretiósa.**

Oratio. **Præsta, quæsumus,** ut in diurnali, **291.**

In laudibus pro sancto Vitale martyre:

Antiph. **Lux perpétua. ℣. Sancti et justi.** Oratio. **Præsta, quæsumus, 291.**

Die 29. Aprilis.
In Festo **S. Petri,** Martyris. Duplex.

In laudibus pro octava S. Adalberti.

Antiph. **Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine, et ætérnitas témporum, allelúja. ℣. Sancti et justi in Dómino gaudéte, allelúja. ℟. Vos elégit Deus in hæreditátem sibi, allelúja.**

Oratio. **Omnipotens sempitérne Deus, 5*.**

Die 30. Aprilis.
Octava **S. Adalberti,** Episcopi et Martyris. Duplex.

In vesperis fit commemoratio de sancto Petro martyre. Antiph. **Sancti et justi, in Dómino gaudéte, allelúja: vos elégit Deus in hæreditátem sibi, allelúja. ℣. Pretiósa in conspéctu Dómini allelúja. ℟. Mors sanctórum ejus, allelúja.**

Die 11. Maji.
In Festo **S. Catharinæ Senensis,** Virginis. Duplex.

Omnia dicuntur ut in diurnali, die 30. aprilis, **291.**

Die 15. Maji.
In Festo **S. Fidelis a Sigmaringa,** Martyris. Duplex.

Ut in diurnali, die 24. aprilis, **290.**

Die 16. Maji.
In Festo
S. Joannis Nepomuceni,
Martyris. Duplex majus.

Ad I. Vesperas.

Antiph. Interrogábat eum rex, cum reliquis de laudibus.

Psalm. Dixit Dóminus, cum reliquis ex primis vesperis de communi Apostolorum, [1].

Capitulum. Eccli. 21,28.

Labia imprudéntium stulta narrábunt; verba autem prudéntium statéra ponderabúntur. In ore fatuórum cor illórum: et in corde sapiéntium os illórum.

Hymnus.

Invictus heros Núminis,
Mergéndus unda flúminis,
Stat fortis in siléntio,
Dum fit sigilli méntio.

Hinc rex minátur fúnera,
Hinc tortor infert vúlnera;
Manus ligántur fúnibus;
Artus cremántur ígnibus.

Sed hæc Joánnes déspicit,
Nec regis iram réspicit.
Secréta non vult pándere,
Horret sigillum frángere.

Stat mutus agnus innocens,
Nil de tegéndis próferens:
Stat, dumque rex nil élicit,
E ponte justum déjicit.

Præceps ab alto stérnitur,
Undis profúndis mérgitur:
Mersum sed applaudéntibus
Undæ salútant ígnibus.

Stellæ natant in flúmine:
Illi paréntant lúmine:
Docétque cæli cláritas,
Quæ sit Joánnis cáritas.

Da, sempitérna Trínitas,
Ut in bono sit firmitas,
Aut lacrimárum flúmina
Mergant cadéntum crímina. Amen.

℣. Sacraméntum regis abscóndere bonum est. ℟. Opera autem Dei reveláre honoríficum.

Ad Magnificat, Antiph. Dedit mihi Dóminus linguam mercédem meam: et in ipsa laudábo eum.

Oratio.

Deus, qui ob invictum beáti Joánnis sacramentále siléntium nova ecclésiam tuam martyrii coróna decorásti: da, ut ejus exémplo et intercessióne ori nostro custódiam ponéntes, beátis qui lingua sua non sunt lapsi annumerémur. Per Dóminum.

Ad Laudes
ET PER HORAS.

Antiph. Interrogábat eum rex multis sermónibus; at ipse nihil illi respondébat.

Psalm. Dóminus regnávit, cum reliquis de laudibus dominicæ, ut in psalterio 1.

Antiph. Rex dixit: Ne abscóndas a me verbum,

quod te intérrogo. Dixi: Secrétum meum mihi, secrétum meum mihi.

Antiph. Affirmábat rex, se divitem et beátum factúrum. Non obédio præcépto regis, sed præcépto legis, quæ data est nobis.

Antiph. Tunc rex accénsus ira in hunc super omnes crudélius desævit.

Antiph. Beátus, qui lingua sua non est lapsus, et qui non servivit indignis se.

Capitulum. Eccli. 21, 28.

Labia imprudéntium stulta narrábunt: verba autem prudéntium statéra ponderabúntur. In ore fatuórum cor illórum: et in corde sapiéntium os illórum.

Hymnus.

Vix in sepúlcro cónditur,
Signis Joánnes próditur;
Per crátium repágula
Intérmicant mirácula.

Hic ejus hostes illico,
Pudóre mæsti público,
Ultrice dextra Núminis
Pœnas rependunt criminis.

Hic damna rerum fléntibus
Famæve conqueréntibus
Abdúcta res revértitur,
Abláta fama rédditur.

Hic corpus ægritúdines,
Tempus vicissitúdines,
Periculum secúritas,
Mortem fugit mortálitas.

Hic viva lingua mártyris,
Sed muta, voce sánguinis
Clamans ut Abel, improbat,
Regique crimen éxprobrat.

Unius o da Trinitas
Triúmque simplex Unitas,
Ut, qui Joánni súpplicant,
Id impetrent, quod flágitant. Amen.

℣. Pósui ori meo custódiam. ℟. Cum consisteret peccátor advérsum me.

Ad Benedictus, Antiph. Quicúmque glorificáverit me, glorificábo eum: qui autem contémnunt me, erunt ignóbiles.

Ad Tertiam.

Antiph. Rex dixit.

Capitulum.

Lábia imprudéntium, ut in laudibus.

℟. br. Sacraméntum regis * Abscóndere bonum est. Sacraméntum. ℣. Opera autem Dei reveláre honorificum. Abscóndere. Glória Patri. Sacraméntum.

℣. Pone, Dómine, custódiam ori meo. ℟. Et óstium circumstántiæ lábiis meis.

Ad Sextam.

Antiph. Affirmábat rex.

Capitulum. Eccli. 28, 28.

Sepi aures tuas spinis: linguam nequam noli audire, et ori tuo fácito óstia et seras.

℟. br. Pone, Dómine, * Custódiam ori meo. Pone.

℣. Et óstium circumstántiæ lábiis meis. Custódiam. Glória Patri. Pone.

℣. Dixi: Custódiam vias meas. ℟. Ut non delinquam in lingua mea.

Ad Nonam.

Antiph. Beátus.

Capitulum. Eccli. 28,29.

Aurum tuum et argéntum tuum confla, et verbis tuis fácito statéram, et frænos ori tuo rectos: et atténde, ne forte labáris in lingua.

℟. br. Dixi: * Custódiam vias meas. Dixi. ℣. Ut non delinquam in lingua mea. Custódiam. Glória Patri. Dixi.

℣. Pósui ori meo custódiam. ℟. Cum consisteret peccátor advérsum me.

In II. Vesperis.

Antiph. Interrogábat eum rex, cum reliquis de laudibus, ut supra.

Psalm. Dixit Dóminus, cum reliquis de communi. [13].

Capitulum. Lábia imprudéntium, ut supra.

Hymnus.

Jam faces lictor ferat et minántem
Jam ferox ensem rabidúmque tortis
Vinculis ferrum, sacra ni sacérdos
Abdita pandat.

Séntiet vires animæque magnæ
Pródigum pectus. Violéntus ira
Non quatit recti sólida tenácem
Mente satélles.

En ruit præceps tumulátus unda
Martyr, et fluctu plácido siléntem
Naúfragus linguam melióris ævi
Servat in usum.

At superjéctæ fácili natántes
Amne discúrrunt rutilántque circa
Mártyrem flammæ: bene gesta plaudens
Ornat olympus.

Ornat: et linguam, rósei instar ignis,
Vividam servans et adhuc rubéntem,
Indicat, quænam fúerit tacéntis
Grátia linguæ.

Sit decus Patri genitæque Proli;
Spiritum laudent, ab utróque puris
Qui calet flammis, sine fine psallens
Orbis utérque.
Amen.

℣. Pósui ori meo custódiam. ℟. Cum consisteret peccátor advérsum me.

Ad Magnificat, Antiph. In conspéctu potentium admirábilis ero, fácies prin-

cipum mirabúntur me: tacéntem me sustinébunt, et loquéntem me respicient.

Die 17. Maji.

In Festo **S. Ubaldi,** Pontificis et Confessóris.

Semiduplex.

Omnia ut in diurnali, die 16. maji, 302.

Die 30. Maji.

In Festo **Inventionis Manus dexteræ S. Stephani,** Regis Hungariæ.

Duplex majus.

Ad I. Vesperas.

In hymno dicitur: **Méruit suprémos.**

Ad Magnificat in utrisque Vesperis Antiph. **Dispérsit, dedit paupéribus: justitia ejus manet in sæculum sæculi.**

Oratio.

Deus, qui es sanctórum tuórum splendor mirábilis, quique hodiérna die beáti Stéphani regis et confessóris tui gloriósam déxteram reveládti: da nobis fámulis tuis de ejus semper protectióne gaudére. Per Dóminum.

Ad Benedictus, Antiph. **Stabilita sunt bona illius in Dómino et eleemósynas illius enarrábit omnis ecclésia sanctórum.**

Feria Secunda

post Domin. Ss. Trinitatis.

Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.

Duplex majus.

Omnia ut in festo ad initium mensis julii in diurnali, 323.

Die 27. Junii.

In Festo

S. Ladislai Regis, Confessoris. Duplex.

Oratio.

Deus, qui beátum regem Ladisláum confessórem tuum divérsis decorásti mirácnlis: præsta, quæsumus, ut ejus suffragántibus méritis ab ómnibus semper muniámur advérsis, et gaúdiis perfruámur ætérnis. Per Dóminum.

Die 13. Julii.

In Festo

S. Margaritæ, Virginis et **Martyris.** Duplex.

Oratio.

Deus, qui beátam Margaritam virginem per martyrii palmam tui regni fecisti consórtem: concéde nobis, quæsumus; ut per ejus exémpla ad te pervenire mereámur. Per Dom.

Die 15. Julii.

In Festo **Divisionis Ss. Apostolorum.** Duplex.

Oratio.

Deus, qui ecclésiam tuam distribútam per

orbem terrárum sanctórum Apostolórum prædicatióne fundásti: concéde propítius, ut, quórum hodiérna die sub una celebritáte recólimus insignia, eórum in cunctis necessitátibus nostris experiámur suffrágia. Per Dóminum.

Die 17. Julii.
In Festo Ss. Eremitarum
Andreæ et Benedicti,
Martyrum. Semiduplex.
Oratio.

Deus, qui nos concédis sanctórum mártyrum tuórum Andréæ et Benedícti natalitia cólere: da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Die 18. Julii.
In Festo
S. Anacleti, Papæ et Martyris. Semiduplex.

Omnia ut in diurnali (die 13. julii) 332.

Die 20. Julii.
In Festo
S. Henrici, Imperatoris Confessoris. Semidupl.

Omnia ut in diurnali (die 15. julii) 333. In hymno **Iste conféssor** mutatur tertius versus.

Die 21. Julii.
In Festo **S. Alexii,** Confessoris. Semiduplex.

Omnia ut in diurnali (die 17. julii) 333. In hymno **Iste conféssor,** mutatur tertius versus.

Die 24. Julii.
In Festo
S. Hieronymi Æmiliani,
Confessoris. Duplex.

Ut in diurnali 334.

Dominica Septima
post Pentecosten.
In Festo
B. Cunegundis, Virginis, Reginæ Poloniæ.
Duplex majus.
Oràtio.

Deus, qui beátam Cunegúndem dulcédinis tuæ benedictiónibus prævenísti ac vírginem étiam in conjúgio conservásti: præsta, quæsumus, ut ipsa intercedénte per vitæ puritátem tibi júgiter adhærére, et per ejus vestígia gradiéntes ad te perveníre feliciter mereámur. Per Dóminum.

Die 9. Augusti.
In Festo
S. Ludovici Tolosani,
Episcopi et Confessoris.
Semiduplex.
Oratio.

Deus, qui beátum Ludovícum confessórem tuum atque pontíficem cæléste regnum terréno præpónere docuísti, ac puritáte illibáta et exímia in

paúperes caritáte mirábilem efficere dignátus es: concéde nobis fámulis tuis imitári quem cólimus, ut ejúsdem virtútes æmulántes in terris coronári cum ipso mereámur in cælis. Per Dóminum.

Die 20. Augusti.
In Festo
S. Stephani Regis, Conf. Hungariæ Patroni.
Duplex I. classis cum oct.
Oratio.

CONCEDE, quæsumus, ecclésiæ tuæ, omnipotens Deus: ut beátum Stéphanum confessórem tuum, quem regnántem in terris propagatórem hábuit, propugnatórem habére mereátur gloriósum in cælis. Per Dóminum.

Die 21. Augusti.
In Festo **S. Bernardi**, Abbatis. Duplex.

Omnia ut in diurnali die 20. augusti, **356.**

In laudibus pro commemoratione S. Stephani.

Antiph. **Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.**

℣. **Amávit eum Dóminus, et ornávit eum.** ℟. **Stolam glóriæ induit eum.**

Die 25. Augusti.
In Festo **S. Ludovici**, Regis Franciæ, Conf.
Semiduplex.

Omnia ut in **diurnali, 358.**

In laudibus pro commemoratione S. Stephani.

Antiph. **Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.**

℣. **Amávit eum Dóminus, et ornávit eum.** ℟. **Stolam glóriæ induit eum.**

In vesperis a capitulo fit de die 7. infra octavam S. Stephani regis.

Pro commemoratione S. Ludovici regis. Antiph. **Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuisti fidélis, supra multa te constituam, dicit Dóminus.**

℣. **Amávit eum Dóminus, et ornávit eum.** ℟. **Stolam glóriæ induit eum.**

Die 6. Septembris.
In Festo
S. Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal, Viduæ. Duplex.

Omnia ut in diurnali, 21. augusti, **356.**

Die 25. Septembris.
In Festo
S. Gerardi, Episcopi et Martyris. Duplex.
Oratio.

DEUS, qui beátum Gerárdum pontíficem agóne martyrii et stola immortalitátis coronásti: concéde propitius; ut, cujus memóriam devótis méntibus celebrámus in terris, ejus perpétua defensióne muniámur in cælis. Per Dóminum.

Die 28. Septembris.

In Festo **S. Wenceslai,** Regis Bohemiæ. Duplex.

Ut in diurnali eadem die, 375.

Die 17. Octobris.

In Festo **S. Hedwigis,** Viduæ. Duplex.

Ut in diurnali sub hac die, **385.**

Die 20. Octobris.

In Festo **S. Joannis Cantii,** Confessoris. Duplex.

Omnia de communi confessoris non pontificis [24]. In hymno I**ste confêssor,** mutatur tertius versus.

Oratio sumitur ex diurnali sub hac die, **386.**

Die 21. Octobris.

In Festo **Ss. Ursulæ** et **Sociarum,** Virginum et Martyrum. Duplex.

In utrisque vesperis et laudibus. ℣. **Adducéntur regi vírgines post eam.** ℟. **Próximæ ejus afferéntur tibi.**

Antiph. P**rudéntes vírgines, aptáte vestras lámpades: ecce sponsus venit, exíte óbviam ei.**

Oratio.

O**MNIPOTENS sempitérne Deus, qui infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas: da nobis, quæsumus, de beátæ Ursulæ et sociárum ejus festivitáte gaudére, ut poténtiam tuam in eárum passióne laudáre et concéssum nobis percípere mereámur auxílium. Per Dóminum.**

Die 26. Octobris.

In Festo **S. Demetrii,** Martyris. Duplex.

Oratio.

D**EUS, qui beátum Demétrium mártyrem tuum virtútum signis clarificas: ejus nos, quæsumus, intervéntu a cunctis reátibus, et a malis, quæ pro eis merémur, absólve propítius. Per Dóminum.**

In vesperis pro commemoratione S. Evaristi:

Antiph. Q**ui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.**

℣. **Justus ut palma florébit.** ℟. **Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.**

Oratio.

I**NFIRMITATEM nostram réspice, omnípotens Deus: et, quia pondus própriæ actiónis gravat, sancti Evarísti mártyris tui, atque pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.**

In laudibus pro commemoratione sancti Evaristi:

Antiph. I**ste sanctus pro lege Dei sui certávit usque**

ad mortem, et a verbis impiórum non timuit: fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. **Glória et honóre coronásti eum, Dómine.** ℟. **Et constituisti eum super ópera mánuum tuárum.**

Dominica III. Novembris.
In Festo
Patrocinii B. Maríæ V.
Duplex majus.

Omnia ut inter officia pro aliquibus locis dominica secunda novembris, [176].

Die 5. Novembris.
In Festo
S. Emerici, Hungariæ Ducis, Confessoris. Duplex secundæ classis.

Oratio.

Deus, qui beátum Emericum juvenili flore nitêntem in sanctórum tuórum consórtium sublimásti: præsta, quæsumus, ut, quem tibi fecisti esse devótum, ejus apud te perpétuum sentiámus auxilium. Per Dóminum.

Die 15. Novembris.
In Festo
S. Leopoldi, Virginis.
Duplex.

Oratio.

Deus, qui beátum Leopóldum a sæculi curis ad cæléstem glóriam transvexisti: concéde, quæsumus, ita nos per hæc temporália pertransire, ut ætérnæ vitæ consórtia mereámur. Per Dóminum.

Die 16. Novembris.
In Festo
S. Gertrudis, Confessoris.
Duplex.

Omnia ut in diurnali, die 15. novembris, **395.**

Die 19. Novembris.
In Festo **S. Elisabeth,** Viduæ. Duplex.

Oratio.

Tuorum corda fidélium, Deus miserátor, illústra: et beátæ Elisabeth précibus gloriósis fac nos próspera mundi despicere, et cælésti semper consolatióne gaudére. Per Dóminum.

KALENDARIUM.

ümeling zeichnet für New-York:

ich Pustet

an Blümeling.

etreff.